

providear. Vide, plurimum quia potes apud Helvetios tuos, inibi mihi(?) prosis. — Timent sibi Romanæ<sup>e)</sup> ecclesiæ antistites, ne quid Germani contra sedem et servos eius facturi sint. Eckius nactus est a pontifice viaticum septingentorum ducatorum. Vide, quid tu posses; cum males tuis uti propriis viribus quam aliorum; postula, tenta; credo, nihil te non assecuturum. Vix hodie, et coactus quidem, scribo; quamobrem non cura errores. Audies omnia ex isto, qui tibi meas literas feret. Precor, domi sibi non desis, cum eius propositum edoctus<sup>d)</sup> fueris. Scribe multocias ad dominum doctorem, quæ res gratissima sibi est. Habet me commendatissimum<sup>g)</sup>. — Inversa sunt omnia Romæ; committuntur quotidianæ cædes; in Iunio præterito mense centum et quinquaginta homines interfecti. Nequissimus plane populus est. Vale et ne<sup>h)</sup> tradas oblivioni, ut citissime ad me scribas, quot annorum sim, quod unice expostulat dominus doctor. Salutes meos omnes. Romæ, quinta Idus Iulii, anni XX.

*Melchior Vadianus.*

Commendes<sup>b)</sup> me semper priorissæ et Henrico Bumann.

Audivisti de expugnata insula a Carlo.

Domino doctori Ioachim Vadiano, phisico oppidi S. Galli, fratri charissimo.

a) Hier steht eine Zahl, die durch einen Klex unleserlich geworden. — b) „comode“. — c) „inicio“. — d) oder „quod“. — e) Durchwegs „e“ für „æ“. — f) „eodoctus“. — g) „commendatissimum“. — h) oder „me“. — i) „comendes“.

l) Vrgl. Brief 143.

I 202.

202.

**Konrad Grebel<sup>1)</sup> an Vadian.**

*Zürich. 1520. Juli 17.*

Bestätigung des Empfangs zweier Schreiben Vadians. Sein Wunsch, ihn bald in St. Gallen zu besuchen. Scherzrede über den homerischen Jupiter. Verteidigung gegen den Vorwurf der Undankbarkeit. Entschuldigung, dass er seiner Schwester nicht geschrieben.

S(alutem). Binas tuas literas (certis enim nunciis commiseras) eo animo, quo te diligo, amo colloque semper, accepi. Prioribus primum increpas in calce; tum in proximis quoque, ad te ut veniam, invitas et sic obsecras, ut mea absentia angi et diutius Conrado carere posse non videaris. Quod si sic est — sic enim esse haud dubie credo — veniam quam potero citissime. Vellem tamen magnopere Asconios et aliud quiddam, quod nollem a parente videri, donec a Basilea huc ad nos

deferantur, expectare, ut comite mea Iliade et tuo munere Peditano ad te venirem. Nunc autem, quod me sic duplicem hominem ubique effingas, miror, in una nempe causa mea iudicem et actorem, et quod statim sub hæc, cum tantum non Iovem fulminatorem fecisses, ex elephanto muscam reddens, Iovi tuo Grebelio *σπομαχίαν* tribuis scilicet. Humilis nimis hæc fuisset Homericō Tonanti maiestas, cum umbris pugnare, qui deos simul omnes pro arbitrio suo tractare minimo, provocare et catena<sup>a)</sup> e cælo pertrahere se posse, si vellet, illic asserebat. Mallem ergo, dixisses potius *αίγερπομαχίαν*, ut ita fingere — sed tecum — liceat; quæ, inquam, vel inde Iovi non adeo pudenda erat, quia Homerus eum non semel *αίγιοχον*, tanquam magnifico atque Ioviali titulo, nimirum ut a capra nutritum, appellare gaudeat, vel quod non incelebris parœmia sit et illa: de lana caprina certare. Quid, quod tua tot beneficia me non agnoscere ais? Vide, ne et ipse simul accuses damnesque hominem, in quo nullum vitium tam exiguum locum aut, si mavis, adeo nullum habeat, quam pestilens, communis tamen iam, ingratitude. Agnosco, quicquid fecisti gratiasque habeo quam possum maximas, tibi que quantum non alii viro me debere profiteor; sed quoniam sic audacter scripsimus, literarum tuarum raritate moti, putasti protinus nihil prorsus tuorum meritorum a nobis agnoscere. Quæ quidem an ego non expectarim semper, an non debere iis me sentiam necne; quo animo cuncta effutiverim, quæ tu forsitan non æquo animo legisti; an perduellis futurus fuerim Vadiano; tum de descriptione increpata innumerisque aliis: ubi in ædes tuas venero hospes, plenius, tutius, confidentius (quamvis nimis confidenter proxime, immensa tua doctrina, tum ætate non observata, locutus sim) garriam. Garriam autem, quando tu totos dies commentando<sup>b)</sup> te mecum consumpturum pollicearis, quando sic invites expectesque, ut non posses nec velles vel exulem fratrem magis. Exoptant et vocant eundem parentes tui, tua Grebelia, tuum, ut inquis, corculum, sacrificuli denique. Ad tales igitur viam vorabo, sed qua die nondum constitui; venturusque essem libentius, si vestram pompam, si nimiam vestram humanitatem vos moderaturos scirem. Atque utinam promissam et non sic purgandam tuis literis apud vos frugalitatem veniens invenirem potius, quam honorifica illa convivia, pro quibus quasi in concione meditatę orationes, ut gratum te esse ostendas(?), habendę sint. Licet ea non timere iubeas et ne parsimoniam reicere velim roges, nec ego vel propensa nimis humanitate vel non futura frugalitate territus vos vi-

*g.*

L L  
 surus eram. — Sorori, quod me desideret<sup>c)</sup>, ac nostris gratias nomine meo, donec ipse possim præsens, non gravatim referes. Cur autem soror nihil literarum a me vicissim accipiat, id — illi me excusans — impedimento fuisse dicito: scribendę erant chartę ad Basiliensem mercatorem, ut precibus persuasus sine mora suppellectilem meam suum dominum sequi faceret; salutandus quoque **Z**ilianus ille, qui Gallicum ensem tibi muneri dedit; tota postremo dies perquirendis nunciis aliisque negociis conterenda erat, quominus ex officio fraterno illi respondere possem. Ignoscet, credo, cum narrabis causam; veniam nec minus tu quoque dabis, quod libere, quod licenter, quod tam impudenter te compellaverim. Convertibile et revocabile est boni hominis pectus, ut ille præceptor Achillis ait, nec ego sic commotus in Gallia fui, ut nullę, si futurum fuisset bellum, a bello nostro inducię sperandę fuissent, quemadmodum tu sperabas, nolim dicere timebas. Nunc nihil multis addam. Tuis, immo meis omnibus bene precor precanturque iisdem mei hic omnes optime. Vale cum tuis, dum ego venire propero auspiciatissime. Ex Tiguro, XVI Kalendas Augusti, anno virginis partus MDXX.

*Conradus* tuissimus.

Res mira: ante forem tibi cum Ζεδς ἀστεροπολιτης,

E Gallo iaciens non mea tela polo,

Deinde σκουμαχίαν quod des irate Tonanti;

Sed vati ex barro crescere musca potest.

Domino doctori Ioachimovadiano, poetę et oratori facundissimo, affinium omnium cultissimo.

Gen S. Gallen.

a) „cathena“. — b) „comentando“. — c) — „desyderet“.

l) Vrgl. I, Register.